

V A R I A E X I V R E V A R I O  
C A P I T A

Q V A E

P R A E S I D E

D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO  
K L V E G E L

INSTIT. P. P. O. CVRIAE PROVINC. SCABINATVS ET  
ORD. ICTORVM WITTENB. IVDICII ITEM PROVINC. IN  
LVSAT. INFER. MARCHION. ASSESSORÉ ORD.

DIE XIV. MART. A. O. R. MDCCLXXXVI.

H. L. Q. C.

DEFENSVRVS EST

AVCTOR

CAROLVS GODOFREDVS MEHLIG

D R E S D E N S I S

---

WITTENBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

Diss. jur. civ.

563 10

VARIA EX IVRE VARIO

CAPITULA

QUAE

PRAESIDE

D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO

KLAVGEL

INSTIT. P. P. O. CURIAE PROVIC. SCABINATUS ET  
ORD. ICTORVM WITTE. IVDICI IEM. PROVIC. IN  
EVGAT. IUDIC. MARCHION. ASSessor. ORD.

DIE XII. MART. A. O. E. MDCCCLXXVI

H. L. & C.

DEFENSORVS EST

AVCTOR

CAROLVS GODOFRIDVS MEHLIG

WITTEBERGAE

WITTEBERGAE

ATHEM. CASCI. CHRISTIANI. DEBERIT



V I R O

AMPLISSIMO IVRISCONSULTISSIMO

DOCTISSIMOQVE

IOHANNI GODOFREDO

G I L L I

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI ATQVE CAUSARVM

PATRONO DRESDENSI CELEBERRIMO

PATRONO ATQVE FAVTORI

O P T I M O

HAEC PAVCA IVRIS CAPITA

DEDICAT

A V C T O R

V I R O

AMPLISSIMO VIRISCONSULTISSIMO

DOCTISSIMOQUE

IOHANNI-GODOLFREDO

G L L I

VIRES VTRIVSQVE DOCTORI ATQVE CAVISSIMO

PATRONS BRABENSI CELIBRARIO

PATRONS ATQVE FAVTORI

O P T I M O

HAEC PAVCA VIRIS CAVISSIMO

DESICAT

A V C T O R



I.

*Filius, qui officio hominis, quem vulgo visitatorem appellant, fungitur, defraudationem accisae a patre suo factam sine exheredationis metu potest denunciare.*

**N**on naturales LL. solum, sed civiles quoque liberis maximam erga parentes reuerentiam praecipunt. Quod ad ius ciuile attinet, expressa hac de re extat sanctio in *Nou. 115. cap. 3.* vbi ob reuerentiam parentibus debitam liberi parentes criminis accusare prohibentur, excepto vnico, quod crimen laesae maiestatis vocant. Et vt sanctius haec lex custodiatur, Iustinianus parentibus a liberis accusatis permisit, vt eos a legitima, quae tamen alias magnum habet fauorem, excludere possint. Hinc puto, filium, qui desert patrem fraudatae accisae reum, exheredari a patre posse. Nec obstat Iustinianum in laudata sanctione de hoc crimine non cogitasse, cum Romanis  
fuis-



fuiſſet incognitum et poenales ſanctiones eſſe ſtrictae interpretationis. Reuerentia enim et pietas parentibus ex legibus debita a filio hac denunciatione aeque laeditur, ac ſi patrem alius criminis accuſaſſet. Praeterea, licet poenalia ſtrictè interpretanda ſint, tamen quoque ratio legis ſpectanda eſt, et comprehenſiue etiam, vt vulgo loquuntur, explicari debent, quae de re varia exempla occurrunt in commentationibus DD. ad *Nov. cit.* Verum fingamus, filium officio perſonae, quam vulgo viſitatorem vocant, fungi, eumque crimen defraudatae acciſae a patre commiſſum denunciare, eritne hoc legitima exheredationis cauſa? Sane non eſt. Nemo enim ignorat, eiſmodi hominem de officio rite adminiſtrando ſub iureiurando, in quo crimen patris haud excipitur, fidem dare, eiſque violationem ſub graui poena eſſe interdictam. Circumſcribitur tacite igitur quoad denunciationem huius delicti reuerentia, quam alias ex legum diſpoſitione filius parenti exhibere debet, quod ſine dubio ratione intereſſe publici principi liberum eſt. Nec peccare eum, qui officium ſuum ex fide gerit, extra dubium poſitum eſt.

## II.

*Exemplum erroris, qui matrimonium non red-  
dit nullum.*

Sicuti fures et latrones illi, qui principum imagines aureas et argenteas in ciſta magna cum cura recludit, infidiantur, ita quoque mulierculam, cui pater vel auia, onerum matrimonii non ignara, aceruum nummularum, eum in finem, vt aliquando dotis nomine poſſit inferri, collegit, iuuenes ſaepe per fas et nefas matrimonii vinculo conſtringere ſtudent. Iocoſum exemplum commemorabo. Quidam cauſarum patronus  
com-



compertum habebat, filiam alicuius viri, qui chartam signatam vendebat, magnis gaudere diuitiis, quarum causa coniungi cum illa matrimonio cupiebat. Vt vero eo magis exoptatus socer eiusque filia fidem darent de futuro matrimonio, iterum iterumque ab eo pro 5. 10. et 15. thaleris chartam signatam emebat. Hoc facto illi sibi persuadebant, hunc causarum patronum ingenti clientum numero auxilium praebere ideoque auri argentique copia abundare. Quae cum Aduocatus noster sentiret, filiam illam sibi a patre expetebat, et, vt sponderetur ipsi, impetrabat. Verum enim vero, matrimonio consummato omnis fere charta signata, quam emerat, in eius domo reperiebatur, illamque emtionem callide esse factam, non dissimulabat. Dolus adest, noua vxor aiebat, et nullum est matrimonium nostrum. Sed, vt ego opinor, haec exceptio nouellae vxoris attentionem non meretur. Etenim non tam dolus subest, quam potius vxor errauit circa eius diuitias, quo casu matrimonium non dissoluitur. *Stryck de diff. sponsal. Sect. V. §. 57. et 64.* Nec culpa vacat vxor, quae ante quam consummabat matrimonium, potuisset et debuisset maiore diligentia in conditionem sponsi inquirere.

## III.

*Singularis legati species.*

Nullo tempore testatores defuerunt, qui testamentis iocosa inferuerunt. Hoc nos docent leges romanae de conditionibus impossibilibus latae, de legatis rei legatario propriae legatae, de legatis perplexis, et passim quoque hodie eiusmodi ridiculae dispositiones in nouellis publicis enarrantur. Mihi quoque exemplum recentius in mentem venit, quod disquisitione non indignum videtur. Legauerat scilicet ante paucos  
annos



annos famulae suae fideli matrona quaedam pro studio et labore in testamento sellam familiaricam. Dixerat vero matrona inter priuatos parietes famulae, ipsi hanc rem in testamento esse legatam, suadens, vt statim post mortem illam sellam auferret, dum in ea occultura esset bonam pecuniae summam. Faciebat famula, quae a matrona erant mandata, et auferens sellam in ea statim peram conspiciebat, quam sublatam retinebat. Cum vero hoc ad notitiam heredis perueniret, hic nummos repertos vindicabat, aiens: eos non simul esse legatos. Habeatne, merito quaeris, fundatam intentionem? Vix mihi persuadere possum. Iam vero inquis, quicquid non legatum est, non debetur, nec pecuniam ad famulam tanquam accessorium sellae familiaricae pertinere. Iuuat quidem hoc assertum *L. 7. D. de supell. legat.* vbi expressis verbis legimus: non videri quemquam dixisse, cuius non suo nomine vsus sit. Nam, etsi prior atque potentior est, quam vox, mens dicentis, tamen nemo sine voce dixisse existimatur. Verum, in vltimis voluntatibus spectandum est, quod testator probabiliter voluerit. *L. 29. D. de reb. dub.* Quod si obiiceretur, potuit matrona, cuius mentionem fecimus, casu fortuito illam peram pecunia repletam in sella familiarica amittere, et itaque famula eam citra voluntatem testatricis accipit: replicamus, hoc non esse praesumendum, praesertim, si pecuniae summa magna sit, cum mulieres thesauros suos sanctius custodire soleant, et hinc potius, consulto pecuniam illam matronam in sella familiarica deposuisse, colligendum est. Quae fient magis etiam certa et clara, si famula colloquium cum matrona habitum, cuius supra mentionem feci, confirmaret iureiurando.



## IV.

*Pactum cum creditore a debitore initum, ut eum ratione debiti sub poena amissionis nunquam interpellat, validum est.*

Non prohibetur creditor, debitorem, etiamsi dies solutionis nondum venerit, interpellare, sed eum hoc modo frustra de solutione monere debitorem, per se intelligitur. Quod si vero dies solutionis non sit praefinitus, interpellatio hoc effectu gaudet, ut debitor in mora constituatur et ab hoc tempore usurae currant *L. 32. D. de usur. et fruct.* atque ut creditor facultatem distrahendi pignus accipiat *L. 23. D. de V. O.* Ast puta, cum creditore debitorem ita pacisci, ut eum ratione debiti nunquam sub poena amissionis interpellat, eritne hoc pactum validum? Sane existimo. Etenim si debitor solutionem non sponte offerat, nihil creditor accipere potest, et si eum de facienda solutione interpellat, debitum amittit, quia inter se ita pacti sunt. Hoc pactum vero quin ratum sit, eo minus in dubium potest vocari, cum quilibet favori suo possit renunciare. Si igitur verum fateri velimus, sub hoc pacto donationem latere certissimum est. Neque obiicias, donationes in dubio non praesumi, quia praesumptio tunc cedit veritati, si aliud verba demonstrent. Idem vero sane est, si creditor cum debitore paciscitur, ut eum ratione debiti, cuius solutionis dies non definitus est, nunquam interpellare velit, ac si dixisset, debitum nunquam

B

repe-



repetam. At, inquis, si sponte soluit debitor, cessat illa praesumpta donatio! Respondeo, hanc donationem non puram esse, sed conditionatam, et in hoc pacto tacitam inesse conditionem, nisi sponte debitor solutionem praestet. Ceterum, si debitor, ut eum creditor intra certum tempus sub amissione debiti non interpellet, sibi stipulatus sit, post elapsum tempus recte creditorem de soluendo monere sine metu amissionis debiti, expediti iuris est.

## V.

*Singularis adulterii species.*

Commemorabatur aliquando sequens adulterii species. Fuisse scilicet quendam, qui alterius uxorem, dum adulterium cum aliquo committebat, in flagrante delicto vidisset, et in fugam coniecto adultero propter eius aduentum, eandem uxorem, ut cum eo quoque adulterium committeret, esset cohortatus, sub praeiudicio, ut alias eius maritum de facinore cum altero perpetrato certiore sit redditurus. Ob metum denunciationis igitur denuo violabat fidem thori conjugalis. Iam incidit quaestio, sitne hoc adulterium voluntarium aut violentum? Voluntarium esse arbitror. Licet enim, quod metu fit, ex libera voluntate non proficiatur, et ideo quoque a Praetore quoad effectum civilem restitutio in integrum concedatur, *L. 1. D. quod metus causa*, modo iustus sit metus, ad quem expresse in *L. 7. §. 1. eod.* refer-

refer-



refertur, si is, qui in adulterio deprehensus dederit vel se obligauerit, nihilominus tamen adulterium, cuius mentionem fecimus, non nisi ad voluntarium poteris referre, partim quia LL. citatae de effectu ciuili loquuntur, partim, quia non infertur foeminae resistenti et inuitae, quod essentiam adulterii violenti constituit. Vis enim est ex sententia Pauli in *L. 2. D. eod.* maioris rei impetus, qui repelli non potest. Cum igitur illa foemina secundum adulterum prohibere potuisset, et ob metum, ne maritum de prima thori violatione redderet certiolem, non prohibuerit, statim liquet, id adulterium non foeminae resistenti et inuitae fuisse illatum, sed volenti et consentienti, ergo ad voluntaria pertinere. Neque opus est, vt ad causam impulsuam respiciamus, cum primum facinus peperit secundum, et posterius, omisso primo, euitari potuisset. Firmat etiam meam opinionem, in dubio non violentam sed voluntariam thori violationem praesumi,

## VI

*Qui dixit, puellam oblata sponsalia non acceptasse, ab eo, qui ea obtulit, actione iniuriarum conueniri nequit.*

Somniant saepe in communi vita, iniuriam esse, si puella, cui nuptiae oblatae sunt, eas non acceptauerit, putantes



tantes, absque iniuria offerentis id non posse referri. Sed quis est, qui non videat vulgarem errorem? Libera enim est paciscendi facultas. Itaque nemo, vt pactum ineat, potest cogi. Quomodo igitur iniuriam infert, qui pactum inire recusat, nonne potius suo iure vtitur? Nonne sponsalia etiam pacta sunt? Quis itaque putabit puellam iniuriam facere, si nuptias renuat, cum iure suo vtatur. Et cur id non liceat tertio narrare, cum sine metu actionis iniuriarum palam efferre possis, Caium Sempronii aedes emere voluisse, eas vero pro oblato pretio non fuisse venales.



*Diss. jur. civ. 563, 10.*